



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Angeli Cvstodis Ad Hvgonem Grotivm Svper Nvpero Eivs  
Carcere Paræneticon**

**Hemelaers, Jan**

**Antverpiae, 1621**

Alivd In Eamdem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70494)

Ne secli sorderet Honor, dignissimus annis,  
 Ne tantò ante diem dextrâ demessus iniquâ  
 Hosti ludibrium, luctum deberet amicis,  
 Subsidium vna fuit, sacra anchora, & ara salutis.  
 Quin etiam noua si liceat conferre vetustis,  
 Herôas olim quæ prima per æquora vexit,  
 Cuius Fama locum cælestibus addidit astris,  
 Non mihi nobilior posthac memorabitur Argo:  
 Non quæ prima ratis cursu complectier orbem,  
 Magellane tibi intrepido noua dum fretu pandit,  
 Ausa fuit, cui condignum Viçtoria nomen  
 Et dedit, & memores iussit celebrare nepotes.  
 Vna mihi ante alias semper, monumenta So-  
 phorum  
 Quæ tam sæpè tulit, quæ docti arcana magistri  
 Haud seruare rudis pridem, post condidit ipsum,  
 (Tunc etiam, in magno sed pectore, bibliotheca)  
 Incolumem & certis euexit fida periclis,  
 Depositi magni cultos celebrabitur ARCA.

#### ALIUD IN EAMDEM.

QVÆ genus humanum, & mortalia secla  
 animantum  
 Semine in exiguo fatalibus extulit vndis  
 (Cum Themis atq; atrox ter-magni Numinis ira  
 Omne tuum, Proteû, pecus altos visere montes  
 Compulit, & pavidas natitare per equora damas)  
 Arca fuit, mundi instar habens, dum cetera victor  
 Neptunus vasto sepeliret gurgite ponti.  
 Quæ modo *Grotiaden* miserandi carceris antro  
 Eductum in dias prouexit luminis oras,

Arca



Arcta licet, fuit *A R C A* capax, nec pondere magno  
 Succubuit, veluti sub iniquo fasce viator,  
 Ingenuitve premi. clari quin sæpè labores  
 Ingenij, Doctorum & opes perferre fidelis,  
 Et domino cultas portare assueta tabellas;  
 Illius extremum mox ad selecta laborem  
 (Si ligno quis sensus inest) concepit amorem  
 Prædulcis famæ, & celebranda volare petiuit  
 Docta per ora virum, monstrari, & dici, *Hæc est.*  
 Promptior ergo ipsum, quàm, vt pridem, ferre  
 libellos,  
 Dum textit non pressit herum, non panda, cre-  
 pante  
 Prodidit, ast fidas hilarem traduxit in oras,  
 Optataque diu mox libertate beavit.  
 Dignam itaq; ad feros nomen transferre nepotes  
 Versibus æternis clari celebrate Poëtæ.

A L I V D.

**P** E L L A E T iuuenis (cui vasti ob cordis hiatum  
 Immensamque sitim laudis, sceptri atque  
 triumpho,  
 Ex populi palpo *M A G N I* cognomen adhefit)  
 Dum nimis angusto querit de limite mundi,  
 Terra haud visa capax fuit: ast (Babylone sepultum  
 Sex septemve pedum tenuis dum continet arca)  
 Carceris ipse atri tenebris adscriptus in æuum  
 Parte sui, atque alia manes detrusus ad imos,  
 Iamque suis oculis vilis, nimiumque pusillus  
 Vota hominum quantilla sient, quàm vana fatetur.  
*Hugoni* (quem stirps, gentilis linguaque *M A G N I*  
 Signa-